



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXIII. Apostolos à Christo iurisdictionem omnem accepisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)



vt in ea sint Pastores, Doctores, &c. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidē Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores & Doctores.* Et praterea, nihil esset, posset Pontifex mutare hunc ordinem, & institueret, si quis sit in Ecclesia Episcopus, quod sine dubio non potest facere. At quæstio est, an Episcopi canonicè electi accipiant a Deo suam iurisdictionem, sicut eam accipit summus Pontifex: an verò à Pontifice. Sunt autem tres de hac re Theologorum sententiæ.

**PRIMA** eorum, qui volunt tam Apostolos, quam ceteros Episcopos immediatè à Deo accepisse, & accipere iurisdictionem. Ita docet Franciscus Victoria in relect. 2. de potestate Ecclesiæ, quæst. 2. & Alphonsus à Castro lib. 2. cap. 24. de hæreticorum punitione. **ALTERA** est eorum, qui volunt Apostolos non à Christo, sed à Petro, & Episcopos non à Christo, sed à Petri successore accepisse, vel accipere iurisdictionem. Ita Ioannes de Turrecremata lib. 2. cap. 54. summæ de Ecclesia, & Dominicus Iacobatius lib. 10. de Conciliis art. 7. **TERTIA** est media, eorum, qui volunt, Apostolos quidem accepisse à Christo immediatè omnem suam auctoritatem, ceteros Episcopos non à Christo, sed à summo Pontifice eam accipere. Ita Gaieranus in tractatu de auctoritate Papæ, & Concilij cap. 3. Dominicus à Soto in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Iuanes Vargas in libello de hac ipsa quæstione, Heruagus in libro de potestate Papæ, & Gabriel in canonem Missæ, lect. 1. & eadem videtur sententia veterum Scholasticorum, B. Bonacursii, Alberti, Durandi, atque aliorum in 4. dist. 18. aut 20. aut 24. quæ sententia verissima est, & ideo breuiter confirmanda.

## CAPVT XXIII.

*Apostolos à Christo iurisdictionem omnem accepisse.*



Vo d igitur Apostoli acceperint à Christo immediatè suam iurisdictionem, **PRIMUM** retinetur verba Domini, Ioannis 20. *Sicut misi me Patres, & ego mitto vos.* Quem locum sic exponunt Patres, Chrysostomus & Theophylactus, vt aperte dicant, si quis



Etos esse his verbis Apostolos Christi vicarios, immò ipsum Christi officium, & auctoritatem accepisse.

Addit CYRILLVS in hunc locum, his verbis propriè Apostolos creatos esse Apostolos, & orbis totius Doctores, & vt intelligeremus in Apostolica auctoritate contineri omnem potestaté Ecclesiasticam, ideo adiecisse Christum: *Sicut misit me Pater.* Siquidem Pater Filium misit summa potestate præditum. CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ: *Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum; Tibi dabo clauēs regni cælorum: Et eisdē post resurrectionē suam dicit; Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionē suam parem potestatem tribuat, Et dicat; Sicut misit me Pater, Et ego mitto vos: tamen, vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, Et c.* Vbi vides idem dari Apostolis per illa verba: *Ego mitto vos,* q̄ Petro fuerat promissum per illud: *Tibi dabo clauēs,* & postea exhibitū per illud: *Pasce meas meas.* Constat autem per illa (*tibi dabo clauēs*) & per illud (*pasce oues*) intelligi iurisdictionē plenissimam, etiam exteriorē. Quomodo autem hæc non impediant Petri primatum, alibi satis ostendimus.

SECUNDO, idem ostendit electio Matthiæ in Apostolatū. Nam Act. 1. legimus Matthiam Apostolum nō fuisse ab Apostolis electum, nec datam ei vllam auctoritatem, sed implorata diuinitus, & impetrata electione eius, mox inter Apostolos annumeratū. Certè si Apostoli omnes à Petro habuerunt iurisdictionem, in Matthia maximè id ostēdi debuisset.

TERTIO, probatur ex Paulo, qui ex professo docet, se auctoritatem, ac iurisdictionē habuisse à Christo, & inde probat se verum esse Apostolum. Nam Galat. 1. ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neq̄ per hominem, sed per Iesum Christum, Et Deum Patrem.* Et ibidē vt ostenderet, se non accepisse auctoritatem à Petro, vel aliis Apostolis, ait: *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex utero matris meæ, Et vocauit per gratiam suam, continuo non acquieui carni, Et sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, Et iterum reuersus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, Et c.* Et cap. 2. *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil conulerunt.*

QUARTO, probatur euidenti ratione. Nam Apostoli à solo Christo facti sunt, vt patet Lucæ 6. *Vocauit discipulos suos,*



*Et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. Et Ioan. 6. Nonne ego vos duodecim elegi? Quod autem Apostoli habuerint iurisdictionem, patet tum ex gestis Pauli, qui in Corinth. 5. excommunicat, & I. Cor. 6. 7. 11. 14. & alibi passim leges constituit, tum quia Apostolica dignitas est prima & summa dignitas in Ecclesia, ut patet I. Cor. 12. & Ephes. 4. Et quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, &c. Vide B. Thomam in cap. 12. primæ ad Corinth. Quod autem ante Christi passionem Apostoli essent, nec tamen adhuc essent Episcopi, vel Sacerdotes, nec ullam haberent iurisdictionem, non est mirum. Dominus enim variis temporibus variis contulit Apostolis potestates. Et præcipue Ioan. 20. absoluit, quod ante passionem inchoauerat.*

## CAPVT XXIV.

*Episcopus omnes à Papa iurisdictionem accipit.*

**V**OD verò omnis ordinaria iurisdictione Episcopi à Papa immediatè descendat, probatur, & patet ex figura Testamenti veteris. Nam Num. 11. regimus, quod cum Moses non posset solus regere totum populum, Deus iussit adesse septuaginta seniores, à quibus de spiritu Mosis, dedit illis, ut vnà cum Mose populum regerent. Vbi notandum cum Augustino, q. 18. in libro Numeri, istam ablationem spiritus à Mose non significare diminutionem spiritus in Mose, quia tunc nihil profuisset Mose habere adiutores, si propterea ipse debiliior factus esset. Deriuationem virtutis seniorum à Mosis virtute. Voluit in Deo ostendere, in Mose residere totam auctoritatem, alios autem qui habent, à Mose habere. Constat autem Pontificem in Ecclesia eum locum habere, quem habuit Moses in populo Iudæorum.

**S**E C V N D O, regimen Ecclesiasticum est monarchicum, ut supra ostendimus, ergo omnis auctoritas est in vno, & ab illo in alios deriuatur. Sic enim se habent omnes Monarchiæ. Respondent, regimen Ecclesiasticum est Monarchicum, sed temperatum ex Aristocratia, & ideo præter Monarchiam esse etiam alios præfectos inferiores, qui non sunt Vicarii summi Monarchæ, sed absoluti Principes. Essent autem Vicarii, si ab illo acciperent auctoritatem.